116

151 2964744

This Book belongs
to the
Library
of
The Bath United Hospital.

Shelf ~~XIII 24B~~ 14 No. 644

Rest. Med 1?

dedit amicissimus

Henricus: Mitchell: Wagner:

Coll Regal:

1814:

By
John Michell
([illegible])

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b21442174

DE
ARTE MEDENDI
APUD PRISCOS
MUSICES OPE ATQUE CARMINUM
EPISTOLA

Ad ANTONIUM RELHAN, M.D.

Collegii Medicorum Londinenſis Socium et Cenſorem.

Editio altera & auctior.

—— *Nihil hic niſi carmina deſunt.*

VIRGIL.

LONDINI,
Excudebat J. NICHOLS;
Proſtant venales apud J. BOWEN, New Bond Street.
MDCC LXXXIII.
[Pret. 1s. 6d.]

MEDICAL LIBRARY
BATH

71086

VIRO SUMMO

COMITI de SHELBURNE, &c.

S. P. D.

MICHAEL GASPAR.

INTER Athenienſes inclytiſſimos, qui Rempublicam capeſsêre, Vir Ampliſſime, Nicias mihi videtur tàm conſilio quam manu optimus eſſe civis & in R. P. adminiſtrandâ omniûm peritiſſimus. Diuturno quidèm bello non temerè forſitàn incepto, ſed peſſimè geſto, civitatis opes attritæ ſunt, res hoſtium auctæ. In Colonos primùm rebelles pugnatum fuit; deindè acceſsêre Lacedæmonii Thebanique qui terrâ maximè pollebant; & tandèm aliæ viciſsìm civitates. Undè factum eſt, ùt Athenienſes omnes habuerint Græcos in ſe infeſtos—In quo periculo, quis, præter Niciam, patrìam

ſuam

ſuam reddidit incolumem? Nàm, cùm Sparta in duas diviſa eſt partes, quarum altera bello, paci altera favebat, his Nicias ſe adjunxit, quarum nonnulli ſibi hoſpites, omnes gloriâ, ſapientiâ viri atque æquitate adducti libentèr cum eo conſilia habuere.

Legatos igitùr Lacedæmona miſit, graves viros rebuſque idoneos, qui, ejus conſilio freti, pacis leges compoſuere—iniquas forſitàn, sèd, ut res Athenienſium tùm ſe habuit, optabiles & quæ civitatem ab interitu ſalvas præbuerunt, Athenis quidèm eſſe utiliſſimas quis dubitare poteſt? Cæteri enìm Socii Lacedæmonios, qui & in bello gerundo & pace componendâ principes erant, culpabant, quasì Athenienſibus quam ſibi æquiores: Quòd, cùm civitatem hanc funditùs delere potuiſſent, in integrum reſtituere maluerunt.

Nec

Nec defuere cives ſui, qui Niciam, quasì pacis funeſtæ auctorem, accuſabant. Sed hi, dominandi potiùs lubidine quàm in patriam caritate, faceſſebant. Quorum anteſignanus fuit Alcibiades qui ingenio vique dicendi ſuprà omnes pollens, fœditate vitæ & ambitione præceps datus, pacem diſſolvit totamque Græciam armis, urbium excidiis & vaſtitate terrarum peſſum dedit, quam Niciæ conſilia florentiſſimam orbis terram præſtitiſſent!

Quem Niciæ ſimilem hæc ætas habet, omnes boni cives & æqui facilè agnoſcunt, maligni ad témpus premunt, sèd brevitèr, invidiâ domitâ, laudabunt omnes.

Vereor quidèm, nè audax habear, qui tantum Virum tali interpèllem opuſculo. Diù verò eſt, ex quo aliquid tibi dicare

ſtatui, grato animo ductus propter inſignes gratias, quibus me ornâſti ſimùl atque adjuviſti. Sed gravibus negotiis inpeditum ſenectus inrepit morboſa, priuſquam quod volui, efficere potui. Et cùm Typographus alteram flagitavit Editionem Libelli olìm editi nec eruditis prorsùs ingrati, malui potiùs hoc tantillum Tibi dicare, quam me omninò beneficiorum obliviofum videri. Tu enìm Anglis inter paucos Mæcenas, peregrinis verò ſolus fuiſti. Nos igitùr & omnes cis mare te meritò maximè habemus.

Me autèm quibus affeciſti honoribus! Nàm in paupere tugurio meo ultrò nos ſalutaviſti tu, cui omnes libentèr patent Regiæ. Quid, quòd Colloquio Tuo pænè divino dignatus es, cujus nunquam nec morìens oblivifci potero? Sermo autèm erat non de imperio, de gloriâ opibuſve hominum, ſed de literis, deque philoſophiâ verâ; quam tu promovere inter

inter omnes conaris & feliciſſimè conaris! Tu mihi favebas literarum ſtudiis totùm incumbenti, quamvìs votorum haùd compoti. Hic enìm res anguſta me ad magìs neceſſaria protrudebat, illìc deſidia inter cives, quibus tùnc & hodiè laboramus.

Te res publicas optimè adminiſtrantem laudanto alii, ùt ubìque ſolent, te ego natum ad promovenda eruditorum ſtudia meritiſſimò laudo. Macte igitùr in artibus optimis, Vir Ampliſſime, & me ſenis aliquandò memor ſis oro!

Marpurgiæ. Cal. Maij,
M DCC LXXXIII.

DE

DE ARTE MEDENDI APUD PRISCOS MUSICES OPE ATQUE CARMINUM EPISTOLA.

CUM dies aliquot mihi ſanè jucundiſſimos, Trajecti hoſpitio noſtro uſus eſſes, Antoni amicorum ſumme, primarios inter medicos non infime, multam coram te dolebam, rem muſicam, naturâ ſuâpte ad morbos ſive leniendos, ſive omninò depellendos natam, et medicis optimo cum fructu uſurpatam priſcis, prorsùs ſordeſcere hodiernis. Tu, pro lepore tuo, cuncta naſo ſuſpendiſti, quaſi aut parùm ſerii, aut parùm ſobrii ſomnia audiens. Interpelle-

bat ſtatìm Congerronum unus et alter, adeò ut hanc rem inter nos ſedulò agere nunquam licuiſſet.

Me verò magìs magìſque reputantem, tantum abeſt ne ſententiæ pœniteat, ut hanc indies ſtudio multùm acriori tuear; nec dabo, ut tu in cæteris medicus abſolutus, in hâc parte tantillùm claudicares. Quid enim, de primis hujuſce artis auctoribus ſtatuendum eſt? Anne Chiron, an Æſculapius pro deliris habendi, qui carmine, cantu, Lyrâ ægrotantes ſanaverunt? Quos, quòd tantopere miſeros ævi ſui adjuvabant, nec ſolum adjuvare profitebantur, grati homines ut Divos colûere. Te ſanè, in patres tuos divinos adeo contumelioſum eſſe, religio ſit. At inquis tu, unde hæc noviſti? Narrant non modò profanæ, ſed literæ itèm ſacræ. Qualis tibi videtur medicus David ipſe, qui Saulum phreneticum Citharœdus non ſemèl ſanavit?

Sed quò magis et certa et luculenta ſit diſputatio noſtra, te tam auctoritate quàm argumentis premere pergo. Talis ergo, ſi placet, ordo eſto, Primùm, quid in ægris medendis, muſices hoc eſt carminum, cantûs et lyræ vi factitabant apud veteres medici, quæramus; deinde, quid in hâc re ſuadeat natura, rectaque ratio, inſpiciendum,

Sed ne obſcurus fiam, pauca præfari libet; muſice mihi vox generalis eſt, ſicut et Plutarcho videtur, qui libro ſuo totam hanc artem complectenti, *περι μουσικης* inſcripſit. Ejus partes ſunt vox, inſtrumenta et carmen, ſive vocabula metri cujuſdam legibus adſtricta. Apud priſcos enim nullum fuit carmen niſi cum muſice conjunctum. Unde Homero ſæpe vox ſolennis, *αειδε θεα*. Virgilius itèm "arma virumque cano:" et alibi,

Pandite nunc Helicona, deæ, cantuſque
movete *.

Etiam in Bucolicis poetæ ruſtici "*cantare pares erant* †." Plura hujuſmodi epica; nam in dramaticis luce clarius eſt. Plutarchus igitur de omni carminum genere diſertè narrat, *ȣ λελυμενην δε ειναι των προειρημενων την των ποιηματων λεξιν, και μετρον ȣκ εχȣσαν; αλλα καθαπερ Στησιχορȣ τε και των αρχαιων μελοποιων, ὁι ποιȣντες επη, τȣτοις μελη περιετιθησαν. Και γαρ τον Τερπανδρον εφη κιθαρωσικων οντα νομων Ποιητην, κατα νομον εκαστον τοις επεσι τοις ἑαυτȣ και τοις Ομηρȣ μελη περιτιθεντα, αδειν εν τοις αγωσι α. π. γ. μ* ‡. Sed in re tam

* Æneid. vii. † Ecl. vii.

‡ Poematum vero, de quibus antea eſt dictum, non ſolutam, nec ſive metro dictionem fuiſſe, ſed ad inſtar Steſichori, et priſcorum muſicorum, qui carmina fecêre, his et modulos coaptabant. Nam et Terpandrum (dixit) qui muſicæ leges citharæ in uſum fabricavit, ſecundum has leges tam ſuis quàm Homeri carminibus modulos aptaviſſe, atque ita in certaminibus cantâſſe. Tomus alter, Edit. Francofurt. pag. 1132.

apertâ

apertâ diutiùs verſari tædet. Quæramus igitur,

I. Quid in ægris medendis, muſices, hoc eſt carminum, cantûs et lyræ vi factitabant apud veteres medici.

Medicinæ auctores, quales nobis exhibentur, principiò videndum. Primus jure ſuo Apollo ſiet, medicorum et Pater et Deus. An non idem et Muſices et Medicinæ Inventor? Utroque vero in ægris curandis uſum eſſe, quis æquus negare poteſt? Quidenim vult Cygnus, imaginibus, ſigniſque ejus perpetuò fere adhærens*? Cujus mens planè hæc eſt. Sicut Cygnus paulò ante mortem ſuam cantat; ita Muſicen, quemadmodùm et cætera medicamenta, mors plerumque ſequitur. Hinc omnem νεμεσιν, et adrogantiæ culpam à ſe quàm lepidè amovit medicina. Morbos præterea muſices vi

* Montfaucon, vol. I. tab. xxvi. fig. 2.

depulſit

depulſit Chiron; cùr igitùr Apollo, ſi hoc ſibi diſplicuiſſet, ei potiſſimùm in re medicâ inſtituendum, ejus filium tradidit Æſculapium? At de hâc re certiores nos facit Pindarus, antiquitatis Theologicæ diligentiſſimus auctor.

Και ῥα μιν Μαγνητι φερων
Πορε Κενταυρῳ, διδαξαι
Πολυπήμονας αν-
θρωποισιν ιασθαι νοσȣς *.

Et paulò infrà, Τȣς μεν μαλακαις
Επαοιδαις αμφεπων,
Τȣς δε προσανεα πι-
νοντας, η γυιοις περιαπ]ων πανλοθεν
Φαρμακα, τȣς δε τομαις εςασεν
ορθȣς †.

---

* Quem ad Magneta adferens
Centauro tradidit, inſtituturo
Varios miſeroſque hominum
Sanare morbos. Pindar, Pyth. iii.

† Hos quidem mollibus
Carminibus curans,
Illos autem poculis juvans
Vel membra undique medicamine illinens,
Aſt alios ſecans, cunctos reddidit integros.

Unde

Unde omni parte perfectus, et mortuos ad vitam reduxiſſe fertur Æſculapius, meruitque vocari.

Αρως παντοδαπαν αλεκτηρ νουσων *.

Ab inferis revocavit mortuum Æſculapius; quo remedio? Annon eodem quo Orpheus Euridicen uxorem ſuam, nempè Citharâ? Multa à Poetis accedunt, quo gratiora eſſent Carmina, res autèm fabulis amotis ita proculdubio ſe habet. Qui deliquium patiuntur, moribundis ſimiles, pro mortuis ferè habentur. Lyrâ igitur Hippolytum deficientem Æſculapius, lyrâ Euridicen Orpheus excitavit. Quod tamèn iterùm aggreſſus irritus fuit. Unde amans & propter artem fruſtrà exercitatam dolens in flumine Hebro quodammodò interiit. Hinc opinor apud

* Heros, qui morborum omne depulſit genus. Pindar, ibidem.

rudes

rudes quaſdam gentes (quæ tamèn Græcas cærimonias Romanaſque obſtinatiùs colunt) cantatur, antequam terræ mandatur mortuus. Hoc enim remedio omnium efficaciſſimo non valente, nil ultrà ſperandum fuit; unde apud Romanos conclamatum eſt in rebus deperditis: Ολολυσμος ſanè & inconditus cantus, ſed in quo Æſculapium atque Orphea auctores eſſe facilè agnoſcis. Ecce igitur quod deliquium paſſos optimè & ſuaviſſimè ſanat.

Quid Cybele? Annon ægrotos tibiarum ope ſanavit, et exindè inter præcipuos Deos ab antiquiſſimis mortalibus relata eſt?

Την τε γαρ πολυκαλκον συριγγα πρωτην επινοησαι —προς δε τουτοις καθαρμους των νοσουντων, προσαγορευθηναι *.

* Hanc ipſam dicunt æneam Syringa primam excogitaviſſe—ægrotantium inſuper medicamina. Diodorus Siculus Edit. Stephani, lib. iii. pag. 134.

Ad

Ad Æſculapium vero redeamus. Symbolum huic perpetuum eſt ſerpens. In quo explicando, et multùm et fruſtrà, opinor, ſatagunt Eruditi. Tu mecum ſic explicabis; eum in carminibus tantùm valere, ùt ſerpentibus et omni viperarum generi imperaret. Nàm in veterum monumentis ſerpens videtur blandienti ſimilis, et ex foramine ſuo in arboris trunco non fugiens, ſed placido gradu repens ad Medicum *. Nec aliud veterrimo illi medicorum Umbroni, inſigne artis ſuæ tribuit Virgilius,

Vipereo generi et graviter ſpirantibus hydris
Spargere qui —
Mulcebatque iras — †

At de Æſculapio ſatìs patet. Ex eâdem Chirontis ſcholâ prodibant Hercules ipſe et Achilles, et hi eodem medendi genere inſtituti, ſi Plutarcho fides eſt; Ἡρακλεα

* Montfaucon, vol. I. † Æneid. lib. vii.

*γαρ ακουομεν κεχρημενον μουσικη, και Αχιλλεα, και πολλους αλλους, ὧν παιδευτης ὁ σοφωτατος Χειρων παραδεδοται, μουσικης τε αμα ων και δικαιοσυνης και ιατρικης διδασκαλος**. De Achille teſtatur Horatius,

> Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno
> —— omne malum cantu levato †.

Herculis vero ars Lino perniciei fuit; nàm carminis aut nimio quodam, aut inſcito modulo hunc ille necuit. Medicos autèm nonnunquam errare, præſertìm juveniles, humanùm eſt. At hoc Antiquitas allegoriâ gaudens, viden' quam enarravit? Linum ictu plectri graviore interfecit Hercules. Quam fabulæ mentem non aſſecutus eſt Ælianus, ob diligentiam, potiùs quàm ingenium laudandus ‡.

---

* Nam Herculem accipimus muſicen attigiſſe, Achillem itaque, alioſque multos, quos inſtituiſſe traditur Chiron ille ſapientiſſimus, muſices, ſimul et juſtitiæ, et rei medicæ magiſter.—Plutar. ibid. 1146.

† Epod. xiii. ‡ Lib. iii. Ælian. Var. Hiſtor.

Medici

Medici omnes, qui deinceps ſequebantur, ad idem exemplum ægros curaviſſe credendi ſunt; porrò Thaletæ Cretenſis diſertè meminit Plutarchus, *Θαλητα τον Κρητα, ὃν φασι κατα τι πυθοχρηστον Λακεδαιμονιους παραγενομενον δια μουσικης ιασασθαι, απαλλαξαι τε του κατασχοντος λοιμου την Σπαρτην, καθαπερ φησι Πρατινας* *. Animadverte, mi Antoni, eum carminis vi non ſolùm curaviſſe, ſed etiam prorsùs abegiſſe peſtem: idque non levioris cujuſdam populi, verùm ipſorum juſſu Lacedæmoniorum, qui omnia cum conſilio, ſummâque ſapientiâ agere ſolebant.

Inter tales medicos exortus eſt Hippocrates; cætera egregius, lyram certe in-

---

* Quem aiunt oraculi reſponſo quodam Lacedæmonios adiiſſe, eoſque muſices vi ſanaviſſe, Spartamque peſte graſſante liberaviſſe, ſicut meminit Pratinas. Plut. ibid. 1146.

doctior. Quid igitùr mirandum, ſi ſpernens quæ aſſequi non potuit, iis ſe unis dediſſet artibus, in quibus ſuperavit omnes? Hinc vulnus letiferum medicina habuit muſica: nam Hippocrati tantùm tribuebant et ſuum et ſequentia ſæcula, ut medicorum plerique ex Æſculapienſibus fierent Hippocratei. Et ità, ſi placet, utramque ſectam ex hìnc diſtinguamus. Cordatioribus præctereà diſplicuit medicorum quorundam ignorantia et audacia. Nam hinc carmina morbo haud convenientia adhibuêre, et illìnc ad res magicas plerumque convertebant. Minimè tamèn omnes medicos diſciplinam illam deſeruiſſe priſtinam arbitror. Nàm inclytus ille Theophraſtus, Medicus pariter et Philoſophus, qui herbarum vires tàm ſedulus inveſtigavit, is in medendis ægris muſicam adhibere pergebat. Teſtis eſt A. Gellius, de quo infrà plura dicemus. Medicus itèm, cujus Epitaphium in ſuis inſcrip-

inſcriptionibus refert Reineſius, verè Æſculapienſis fuiſſe videtur.

Κλαυδιος Ιητηρ Αγαθημερος ενθαδε κειμαι,
Παντοιης δεδαως κραιπνον ακεσμα νοσȣ.
Ξυνον τȣτο δε μοι, και Μυρταλη ισα συνευνω
*Μνημα, μετ' ευσεβεων δ' εσμεν εν Ηλυσιω**.

Porrò hunc Agathemerum autumat eruditiſſimus Editor, virum fuiſſe præclarum, utpote medicum Lacedæmonium, Cornuti Philoſophi Stoici auditorem, in ævo igitùr Auguſti florentem. Quàm planè *παντοιης νοσȣ*, ex Pindari *παντοδαπαν νȣσων* deſumitur? Nonne hunc Æſculapii æmulum fuiſſe credis? Quid, quod nulli morbos omnigenos ſanare, præter Æculapienſes, præ ſe ferre poſſunt?

---

* Claudius ego medicus Agathemerus hic jaceo
Cujuſcunque qui callui præſens remedium morbi
Sit hoc communi mihi, Myrtalæ pariterque conjugi
Monumentum, cum piis verſamur in Elyſio.
Claſſis 2. inſ. 6 inter Arundelia in Anglia.

De

De priſcorum Medicis plura adferre licet, ſed nos brevitati ſtudemus. Quid nùnc ſcriptores *περι μȣσικης Ιατρειας* prodidêre, quid ipſi ſentiebant, quæramus.

Primus eſto Hiſtoricorum, tàm fide quàm ingenio præſtantiſſimus omnium Thucydides: qui peſtem apud Athenas accuratiſſimè enarrans, nam ipſe interfuit ægrotans, hæc habet; *ȣ τε γαρ Ιατροι ηρκȣντο, πρωτον θεραπευοντες αγνοια, αλλ αυτοι μαλιςα εθνησκον οσω και μαλιςα προσηεσαν, ȣτε αλλη ανθρωπεια τεχνη ȣδεμια* *. Ubì Scholiaſtes, minimè inter vulgares vel recentiores conſendus, *ανθρωπεια τεχνη* ita explicat, *ὁιον μαντικη επωδη*, ſcilicèt divinatio, carmen.

---

* Namque nil valebant medici (præſertim curantes quem neſciebant morbum, ipſi vero imprimis obiêre, quippe qui ægrotos præcipuè adibant) nec quæ ſunt apud homines artes ullæ. Lib. ii. p. 63. edit. H. Stephani.

At

At Herodoto forſitàn primùm tribuis locum, quippè antiquiori. Huic vero το μυθωδες plerumque venanti, fides non plurima debetur. Haud tamen quæ de Babyloniis narrat in medendis ægris, præſertìm de Veterum medicinâ agens, præterire poſſum. Nam res eſt exempli adeo rari, ùt nunquàm alibì id reperire poſſis. Ægroti in foro decumbebant; prætereuntes lex quærere coegit, quo unuſquiſque decumbentium laboravit morbo; ùt ſi ipſe aliquid ſimile unquàm paſſus eſſet, neceſſe haberet exponere, quâ potiſſimum medicinâ fuiſſet ſanatus*. Quantus igitur hinc locus in medicando cantibus? nam his circumforanei præcipuè gaudent. Hiſtorico credere, et noſtræ concluſioni adſentire, penes te liberum arbitrium eſto. Etenìm de Demodece medìco Crotonienſi incredibilia refert †; quare hunc, licet

* Clio, p. 51. edit. H. Stephani.

† Thalia, p. 132.

Hiſtoricorum

Hiſtoricorum omnium longè elegantiſſimum atque jucundiſſimum, in re medicâ non amplius conſulamus. Plutarchi teſtimonium inter philoſophos anteà audivimus. Nec parvi eſt, quòd Ælianus fideliſſimus ſcriptor, de Hierone, et Ptolemæo ſecundo regibus narrat; qui ægrotantes muſicen didicêre, et exindè ſunt ſanati *.

Poetæ nunc ad partes noſtras vocandi. At tu clamitas hos teſtes eſſe inidoneos, quippe rem ſuam agentes, cùm carminum utilitatem atque pretium adaugeant. Sin verò hi artem ſuam ornantes non ſunt audiendi, cur Philoſophos philoſophiam, cur Juris-conſultos jura, cùr Medicos denique medicinam laudantes, audimus? Cuique ars ſua maximi videtur momenti, nec ideo de eâ differentem rejicimus; imò attentiores potiùs hunc audimus, qui de re pe-

* Lib. iv. c. 15.

nitùs

nitùs ſibi cognitâ verba facit. Quid ſi amplificare aliquid quodammodò videatur? id fidem auctoritatemque ejus pauliſpèr forsàn minuit, verùm nòn omninò tollit. Poetarum igitùr teſtimonia audiens, de carminum utilitate in medendis ægris, æquus eſto judex.

Homerus peſtem ex caſtris Agamemnonis carminum virtute depulſam eſſe memorat. Ità exponit Plutarchus, Poetarum partes nequaquàm ſecutus; Αλλα γαρ και Ομηρος τον καταϲχοντα λοιμον τες Ελληνας παυσασθαι λεγει δια μεσικης.

Οἱδε πανημεριοι μολπη θεον ἱλασκοντο,
Καλον αειδοντες Παιηονα κεροι Αχαιων,
Μελποντες ἑκαεργον, ὁ δε φρενα τερπετ' ακεων *.

---

* Quinetiàm Homerus peſtem quæ in Græcos graſſata eſt, ceſſaviſſe muſices vi inquit,

Illi quidèm totum per diem deprecati ſunt Deum,
Pulchrum cantantes Pæana juvenes Achivi
E longinquo ferientem cantu demulçentes. Audiens ille penitùs delectatur.

Plutarch. ibid. p. 1146. et Iliad. α.

D Eâdem

Eâdem cantandi ope, veluti remedio in peſte conſueto, Oedipus apud Sophoclem utitur, hunc morbum in cives ſuos miserè graſſantem depulſurus, quos ità alloquitur,

> Πολις δομȣ μεν θυμιαματων γεμει
> Ομȣ δε παιανων τε και ςεναγματων *

θυμιαματα ſuffitus, quo non melius in amovendâ peſte remedium; cum hoc conjungitur, quaſi ejuſdem pretii, παιαν, vox, lyra, carmen, cujuſque generis medicinalis muſice. Unde illud Maximi Tyrii, ω θανατε Παιαν †. Sit peſtis ſanè inter letaliſſimos morbos; hâc tamen ſi non letalior, certè magis crucians eſt

---

* Urbs tàm ſuffitu undique impletur
Quàm Pæane atque gemitu. Oedip. Tyr. ad initium.

† Tu mors namque Pean. Diſſertàtio ultim. p. 455. ed. Ox.

amor,

amor, cui mederi ipſe penè deſperavit Apollo, At quamvìs nullis eſt medicabilis herbis, tamen carmine eſſe medicabilem affirmat Theocritus, et conſentientem habet Niciam, Medicinæ et Muſarum laude præſtantiſſimum;

ȣδεν ποττον ερωτα πεφυκει φαρμακον αλλο,
Νικια ȣτ᾽ εγχριϛον (εμιν δοκει,) ȣτ᾽ επιπαϛον,
Η ται Πιεριδες· κȣφονδε τι τȣτο και αδυ
Γινετ επ ανθρωποις *.

Apud eundem Simætha Delphidis amore peritura

——— ες τινος ȣκ επερησα,
Ἡποιας ελιπον γραιας δομον ἅτις επαδεν †;

---

* Nil adverſus amorem valet medicina alia,
Sive id inungit, Nicia, ſive alitèr fovet,
Quàm Muſæ, me judice: hoc lene, hoc dulce
Sentiunt homines. Idyllium, xi.

† —— quæ fuit unquâm, quam non adii
A quâ diſcedebam anu, quæ modò cecinit?
Ibidem Φαρμακευτ.

Pindarus autèm Muſicen καθολικον, proùt loquuntur, remedium eſſe affirmat; odèn exorſus non modò propter hoc teſtimonium, ſed divinam ſuam vim, indiès lectu digniſſimam,

Αριςος ευφροσυνα
Πονων κεκριμενων
Ιατρος· αἱ δε σοφαι
Μοισαν θυγατερες αοιδαι,
Θελξαν νιν απτομεναι.
Ουδε θερμον ὑδωρ τοσον
Γε μαλθακα τευχει
Γυια, τοσον ευλογια
Φορμιγγι συναορος *.

* Eſt quidem lætitia, optimus
Laborum quos affert fatum hominibus
Medicus: hanc vero attingunt
Carmina, Muſarum ſapientes filiæ,
Dulcibus ſuis alloquiis.
Minus enìm membra fovet
Lympha tepida,
Quàm laudes dictæ
Non ſine lyrâ.

Pind. Nem. od. iv.

Ex

Ex Græcis ad Romanos tranſeamus, abs Cicerone auſpicantes. Etenìm hunc ego unicum duco Philoſophum, qui, uti Academicum decuit, cæteris omnibus cum æquitate perlectis, id quod veriſimillimum àtque hominibus utiliſſimum eſt, exindè hauriebat. Is in primâ Tuſculanâ varias Philoſophorum opiniones de animi naturâ recenſens, hæc habet; "Ariſtoxenus Mu-
" ſicus idemque Philoſophus, ipſius cor-
" poris intentionem quandam, velùt in
" cantu et fidibus, quæ harmonia dicitur:
" ſic ex corporis totius naturâ et figurâ
" varios motus cieri, tanquàm in cantu
" ſonos. Hic ab artificio ſuo non receſſit,
" et tamèn dixit aliquid, quod ipſum
" quale eſſet, erat multo antè et dictum
" et explanatum a Platone *." Nempè in Phædone et Timæo. Quid autem veri ſimile dixit? Scilicèt homines hâc harmo-

* 1 Tuſc. x.

niâ

UNIVERSITY OF BRISTOL

niâ perturbatâ ægrotare, renovatâ autem atque compoſitâ valere. Quæ verò res eam perturbat? Annon vox, ſonuſque diſcors? Quæ demùm renovat atque componit? Annon ſonus, quem ſentit harmonia noſtra ſive animus eſſe concordem? Quod non aliud quàm muſice habendum eſt. Hæc ſæpè fieri viderat artem ſuam exercens Ariſtoxenus, hæc ſæpè fieri credidit Cicero. Quale tibi videtur hoc teſtimonium? Hanc opinionem pulcherrimè exponit Lucretius, quem præterire non poſſum;

"Senſum animi certâ non eſſe in parte locatam
"Verùm habitum quendam vitalis corporis eſſe,
"Harmoniam Graii quam vocant, quod faciat nos
"Vivere cum ſenſu, nullâ cum in parte ſiet mens;
"Ut bona ſæpè valetudo cùm dicitur eſſe
"Corporis, et non eſt tamèn hæc pars ulla valentis *."

* Lib. iii. ver. 99.

Sed

Sèd ad Ciceronem redeo. Is ſæpiſſimè Pythagoreos laudans, Æſculapienſibus proculdubiò valdè ſtuduit. Nam Pythagorei perpetuò lyram pulſabant, animum ut redderent tranquillum, undè plerumque bona efficitur valetudo. "Nam cum carminibus ſoliti illi (Pythagorei) eſſe dicantur mentes ſuas à cogitationum intentione cantu fidibuſque ad tranquillitatem traducere *." Et paulò infrà, "Ex quo perſpicuum eſt, et cantus tùm fuiſſe reſcriptos vocum ſonis, et carmina: quamquàm id quidèm etiàm duodecim tabulæ declarant, condi jam ſolitum eſſe camen: quod ne liceret fieri ad alterius injuriam, lege ſanxerunt." Exindè itaquè liquet et cantus et carmina idem valere, nec fuiſſe ſine muſice metrum. Vide inſupèr, quid de carminum vi ſentiebant duodecim tabu-

* 4 Tuſc. ii.

larum conditores, ipſi itaque à quibus deſumebantur Græci.

Sequitur Plinius, quem in hâc re maximi ponderis eſſe arbitror. Quamvìs enìm cauſæ noſtræ minimè favet, tamèn veritate adductus pulcherrimo ſuo teſtimonio eam plurimùm adjuvat. Idem prætereà Naturæ ejuſque operum indagator diligentiſſimus; quare de re ſibi non incognitâ teſtimonium attulit. Nec obitèr quæſtionem tangit, ſed eam plurimis datâ operâ, atque ſolennitèr conſiderat "Ex "homine remediorum primum maximæ "quæſtionis, & ſempèr incertæ eſt, va- "leantne aliquid verba et incantamenta "carminum. Quod ſi verum eſt, ho- "mini acceptum ferri oportere conveniet. "Sed viritìm ſapientiſſimi cujuſque reſ- "puit fides *." Vide igitur quàm iniquus eſt in noſtrâ causâ judex; at idem

* Plin. lib. xxviii. cap. 2.

fidiſſimus teſtis. "In univerſum verò "om-
"nibus horis hominis credit vita, nec ſen-
"tit *." Etenìm rem ità ſe habere omnes perpetuò credunt, utì ex eorum quotidiano cultu perſpicuum eſt; cùr autèm credunt, vel utrùm omninò credunt, non ſentiunt. Annon hoc eſt palàm, ſed invitò fatentis, quòd omnes Naturâ ipsà duce ad hoc remedium ferimur. "Figlinarùm opera multi rumpi credunt tali "modò: non pauci etiàm ſerpentes ipſos "recantari: et hunc unum eſſe ipſis intellectum, contrahique Marſorum cantu, "etiàm in nocturnâ quiete—Dixit Homerus profluvium ſanguinis vulnerato "femine Ulyſſem inhibuiſſe carmine: "Theophraſtus iſchiadicos ſanari. Cato "prodidit luxatis membris carmen auxiliari: M. Varro podagris †." En quot et quales viros ſibi fautores habet muſice medicinalis! Viros maximæ auc-

* Plin. lib. xxviii.

† Ibid. cap. iv.

toritatis, etiàm contra tuam opinionem adpellas, Plini, probitate et morum ſimplicitate nulli ſecunde, ex quo tuam ipſius neceſſariò elevas auctoritatem. Quis enim Theophraſto atque Varroni non potiùs adſentitur, quàm Plinio, qui inter arma et claſſes philoſophari ſolitus eſt? Nè tædio tibi ſim, plura hujuſmodi quæ habet, perſcribere nolo. Unum verò ad capitis finem prætermittere non fas eſt; "Carmina quædam extant contra morborum genera."

Quid tibi, Luciane, omnes irridenti placuit, non moramur; ſufficit nobis, te ipſo teſtante, tùm temporis cùm unâquâque medicinâ conjunctum eſſe fermè carmen ſuum, *μεγαλα δυναιντο, ει τις επισταιτο αυτοις [ακεσμασι] χρησθαι μετα της οικειας επωδης ἑκαστῳ* *. Επωδῇ τινι εξελασας τον

* Plurimùm valent ſi quis cognoverit iis uti [remediis] carmen ſimùl cuique proprium conjungens. Luciano Φιλοψευδης, pag. 829.

ιον εκ τȣ σωμαͳος *. Ἡκον ȣν ὥσπερ ἑλκομε-νοι προς την επωδην οφεις πολλοι †. Incan-tatoris Πολλα εν ταις επῳδαις χρησιμα ‡. Quæ utinam hodiè cuncta extarent, com-munem omnium animantium juvatura ſalutem! Sed de hoc aliàs. Quis verò tali teſtimonio luculento audito, negare audebit, veteres Græcos paritèr et Ro-manos carminum vi curaviſſe ægros?

Cæteros forſitàn, præſertìm ævi ſequi-oris, adducere ſupervacaneum eſſet; hìnc verò patet, plures hominum ætates con-ſentire nobis. A. Gellius certè non ſper-nendus, quippè priſcorum librorum dili-gens Perſcriptor, cujus ingenium paucis, fides omnibus probatur. Erant præterea

---

* Carmine quodam poſtquàm expuliſſet e cor-pore venenum. Ibid. pag. 831.

† Advenerunt igitùr tanquam adacti ad carmen ſerpentes multi. Ibid.

‡ Multùm carmina proſunt. Ibid. pag. 832.

in omnium manibus, undè penum ſuum deprompſit, exemplaria; aut igitùr verum narravit, aut impudentiſſimè mentitus eſt. Quæ in rem noſtram adfert, vide. "Proditum hoc pleriſque eſt, et memo-"riæ mandatum, iſchiacis, quùm max-"imè doleant, tùm ſi modulis lenibus "tibicen incinat, minui dolores *." Quàm affines inter ſe iſchiaci ac podagrici ſunt, tuum eſt, Antoni, judicare; certè podagricis idem prodeſſe remedium tradit M. Varro; "Nec leves modo, ſed "*maximos quoque dolores tibicen modulis* "*levibus incinens minuit.*" En igitùr Podagræ remedium; quòd vos Hippocratei tàm diù, et tantâ cùm hominum ſtrage fruſtrà quæſiviſtis. Et moduli depinguntur, et inſtrumentum ipſum, nempè tibia, quàm ex omnibus muſicis, vos unicam retinetis. Cùr autèm hanc in turpiſſimos ſolùm uſus adhibetis, iis poſt-

* Noctes Atticæ, lib. iv. cap. 13.

habitis,

habitis, undè priſcorum medici, vel homines ſanare, vel ingentiſſimos corporis minuere cruciatus ſueti ſunt? Cùr demùm, ſive Cybeles ſive Panis ipſius præclariſſimum inventum, in viſcera condere, (honos ſit auribus), quàm ſenſus hominum demulcendo morbos depellere mavultis? Hæc non fefelliſſe Patricium illum opinor, cujus meminit Popius celeberrimus Poeta veſtras,

"Like ſober L—— dancing for the gout*."

Etenìm ſaltationis comes, vel potiùs dux et magiſtra eſt Muſice. Pindarus

——— χρυσεα φορμιγξ,
Τας ακυει μεν βασις, αγλαιας αρχη †.

Omnibus verò ægrotis carmina adhibu-

---

* Pope, epiſt.

† ——— Aurea Tibia
Te audit ſaltatio, horæ jucundæ initium.
Pind. Pyth. 1.

iſſe

iſſe videtur Theophraſtus; nàm narrare pergit A. Gellius, "Ego nuperrimè in "libro Theophraſti ſcriptum inveni, vi-"perarum morſibus tibicinem ſcitè mo-"dulatèque adhibitum mederi *." De cujus medicamenti genere alibì dictum, nec non de eo quòd ſequitur, "refert etiàm idem Democriti liber, qui inſcribitur περι λοιμων, ἡ λοιμικων κακων; in quo docet, plurimis hominum morbis medicinam fuiſſe incentiones tibiarum †." Quid hoc teſtimonio amplius, vel gravius eſſe poteſt? Cui opiniònem ſuam, vel Platone dignam adjungit; "tanta prorsùs eſt affinitas corporibus hominum, "mentibuſque, et propterea quoquè "vitiis aut medelis animorum et cor-"porum. ‡."

Idem narrat Stoicis placere, vocem eſſe corpus, quippè videntibus eam tantos mo-

* A. Gellius, ibid.

† Ibid.

‡ Ibid.

tus

tus in corporibus efficere. Verùm corpus ſine corpore moveri, quippè de animo nunc non agitur, à Philoſophiâ alieniſſimum eſt. "Tangere enìm aut tangi "niſì corpus nulla poteſt res." Quòd copiosè explicat Lucretius, nàm hanc de voce ſententiam, multò acriùs quàm Stoici, tuentur Democritus, et Epicurus *. Qui igitùr ità ſtatuunt, ii carmina habent pro minutis corpuſculis, quæ, velutì pilulæ, peritè fabricata, ægrotantibus rectè et ſecundùm ordinem adminiſtrantur. In Macrobio ejuſdem generis non pauca ſunt, quarè hunc perſcribere tædet. Teſtantem ſolùmmodò adducimus, quòd hæc medicandi ratio uſquè ad ſuum, hoc eſt ad ſeculi quarti finem, in uſu et pretio viguit; "corporis "quoquè morbos medetur [muſice] hìnc "eſt quòd ægris remedia præſtantes præ-"cinere dicuntur †."

---

* Lucret. lib. iv. 527.

† In Somn. Scipionis, lib, ii. cap. 3.

Nec

Nec modò prodeſſe carmina, ſed etiàm nocere hominibus exiſtimabant Veteres, malitioſè vel inſcitè condita. Apuleius in apologiâ ſuâ, " Igitùr ad præſcriptum " opinionis et famæ, confinxêre puerum " quempiam carmine cantatum." Largus autèm eſt in oſtendendò, et ſe ab hoc maleficio eſſe alienum, et puerum iſtum non carmine cantatum, ſed morbo comitiali fuiſſe correptum. Eſto, Platonice egregie, nàm te libentiſſimè abſolvimus. Veruntamèn in hâc causâ, nos de *præſcripto opinionis et famæ* duntaxat quærimus. Id in abſentes aggredi, magicæ eſt, artis futiliſſimæ; in præſentes autèm, ad medicinam priſcorum attinet, nec à verâ Philoſophiâ abhorret. Utriuſque generis plurima habent Vates Romani, quos jàm libentèr adeo.

Princeps eſto Virgilius, antiquitatis inſupèr reconditæ diligentiſſimus cultor.

Cujus

Cujus Locum integrum, non anteà intactum, nùnc exhibemus,

"Quin et Marruviâ venit de gente Sa-
"cerdos,
"Fronde ſuper galeam et felici comtus
olivâ,
"Archippi regis juſſu, fortiſſimus Umbro;
"Vipereo generi, et graviter ſpirantibus
"hydris
"Spargere qui ſomnos, *cantuque* manuque
"ſolebat,
"Mulcebatque iras, et morſus arte le-
"vabat *."

Nùm Virgilii mens quæ ſit, dubitas? Qui eum optimus omnium indagavit, Servium conſule; cujus hæc eſt enarratio, "Scilicèt Medea, quandò — docuit re-"media contra ſerpentes — Hi ergò "Populi Medeam Angitiam nominave-"runt, ab eo, quòd ejus carminibus ſer-"pentes angeret." Donatus quoquè in

* Æneid. vii.

locum, "hic (Umbro) tantâ ſcientia flo-"ruit, ùt ſerpentibus immitteret ſom-"num, ac placaret ſævientes, et curaret, "quicquid venenatis morſibus appetiſſent. "His medebatur vel cantu vel manibus."

Quæ de Magiâ profert Maro, non eſt gravitatis operis noſtri laudare; verùm cogit dulce melos

"Hæc ſe carminibus promittit ſolvere
"mentes,
"Quas velit *."

"Miſcueruntque herbas, et non innoxia
"verba †."

Ubì Servius, "λιτοτης, figura eſt, id "eſt nocentiſſima. Et eſt argumentum; "quaſi parùm putent venena miſcere, "niſì etiàm magicos cantus addiderint."

Nec prætereundus æqualis ejus et amicus Flaccus,

---

* Æneid. iv. † Georg. ii.

"Ergo

" Ergò negatum vincor ut credam miſer
" Sabella pectus increpare carmina
" Caputque Marſâ diſſilire næniâ *."

Hæc verò forſitàn irridens Canidiam luſit. Quid in arte poëticâ ſeriam rem agens, de carminum viribus ſtatuit? Poetas audiens,

——" aut dormitabo aut ridebo †."

Annon idem et hodiè valent? Cùr igitùr aliundè bina remedia petitis, Medici, quæ cunctos morbos ſemper minuunt, plerùmque tollunt? Quotus eſt ex infinito ægrotorum grege, quem nec ſomnus neque lætitia non prorsùs ſanat? Paregorica igitùr atque Cardiaca, uti vocitantur, penitùs abjicientes, carmina dormiendì et ridendi unicos fontes, dehìnc ægris mortalibus in perpetuum adhibete. Apud Pauſaniam Muſarum aræ proxima

* Epod. xvii. † Lin. 105.

eſt ara ſomni. Quam arcta igitùr inter ſeſe ſocietas? Quod dudùm obſervavit Swift veſtras, feliciſſimi poſt Lucianum ingenii *.

Propertius,

" Aut mea quùm tales caneret tibi, Cyn-
" thia, ſomnos
" Tibia †."

Quid in locum Joſ. Scaliger, ὁ πανυ? " Alluſum autèm ad cantum, quem " *καθυπνωτικον, και κατακοιμητικον* voca- " bant, quo Mercurius Argum Ocula- " tum ſomno depoſuiſſe dicitur." Hunc celebrat Pindarus,

——— Βλεφαρῶν
Ἁδυ κλαιςρον κατεχευας ‡.

Horatius itàque,

---

* Tale of a Tub.

† Lib. ii. pag. 176. edit. Scaliger.

‡ ——————— oculis
Dulce clauſtrum paulatim inducens.
Pind. Pyth 1.

"Ad citharæ cantum ceſſantem ducere
"ſomnum *."

Ecquis antiquitatis cultor ex tenebris eruerit hoc *κατακοιμητικον* carmen? ecquis hodiernus vel carminis vel muſices conditor, extundendo paulatìm hoc invenerit? Hoc ſanè quam illud, magìs eſt ſperandum: quandoquidèm multùm nos Batavi profecimus *εν τω κατακοιμητικω*, nec veſtrates Angli parùm, præſertìm in Odis. Macte igitùr Poetæ, eaque tandèm perficite, quæ Popius vates brevitèr fore jampridèm prædixit. Annon pudet, rem non modò præclarè inchoatam, ſed etiàm tanto cum fructu elaboratam, imperfectam deniquè relinqui?

Quam pulchrè idem Propertius de vi carminum?

"Quinetiàm, Polypheme, ferâ Galatæa
"ſub Ætnâ
"Ad tua rorantes *carmina* flexit equos †."

---

* Lib. I. Epiſt. ii. lin. 31.
† Lib. III. El. i. pag. 213.

Quis

Quis Tibullum elegantiâ Apollinari præditum ſilere poteſt?

—— "hæc eadem ſe dixit amores
"*Cantibus*, aut herbis ſolvere poſſe meos*."

Idem mirandam ſanè rem canit,

"Carmine quùm magico procubuiſſet
"anus †."

Quæ plurima reſtant in hanc rem teſtimonia, ſciens prætermitto, nè jactationi potiùs quàm neceſſitati, id tribuiſſe videar. Nam ex iis quæ attuli, ſatìs patent, quas volo, concluſiones.

1. A primordio artis Medicinalis, quiſquis Auctor fuerit, uſque Hippocraten, cuncti Medici in ſanandis ægris Muſicen inter medicamenta habuêre.

---

* Lib. I. El. ii. pag. 84. † Ibid. p. 90.

2. Exhinc

2. Exhinc in duas itum eſt partes, quarum alia Æſculapium, alia Hippocraten ſecuta eſt.

3. Æſculapienſibus favebant non modò Poetæ, ſed plurimi etiàm ex graviſſimis Philoſophis.

4. Poſtremà—Viguêre Æſculapienſes uſque ad Macrobium, ſcilicèt ſeculi quarti finem; at paulò pòſt, vel à Barbaris Imperii Romani victoribus, vel ab Arabum medicis è medio ſublati ſunt.

Quo autèm abiere, quæ pollicitùs ſum ex Sacro-ſancto codice teſtimonia? Ea manet locus ſuus. Major enìm, Mi Antoni, his ſacris teſtibus debetur reverentia, quàm ùt inter ſubſellia cum profanis ſedeant. Hos enìm refellere licet, illis autèm, modò quid dicunt rectè teneas, ſine ullâ dubitatione credendum.

Quæ

Quæ de Saulo, quem Davidis cithara ſanavit, narrantur, adeò eximia ſunt, ùt plura afferre neceſſarium haud duco. Audias igitùr quæ de his docemur, Tremellio Interprete, " Perturbabat eum, Saulum, " ſpiritus malus a Jehovâ *." Hunc morbum reapſe fuiſſe bilem atram, ſive Melancholiam, omnes eruditi agnoſcunt. Inter Judæos, multos à ſpiritibus malis immiſſos eſſe morbos, minimè negamus ; at iſti his omnes referebant. Sauli verò morbum, Aulici ejus naturalem autumabant ; ſiquidèm non ad Deum, cujus auxilium apud eos ad arcendos ſpiritus malos tam præſens fuit, verùm ad humanas opes confugiunt. Tale conſilium dant, " edicat, " quæſumus, Dominus noſter ſervis ſuis " adſtantibus tibi, ùt perquirant aliquem " ſcientem, pulſantem citharam, eritque " quùm inerit tibi Spiritus Dei malus, ùt

* 1 Sam. cap. xv. ver. 15.

"eo pulſantè manu ſuâ, benè ſit tibi *." Annon hæc eorum ſunt, apud quos remedia ægrotìs à muſice peti ſolebant? Huic conſilio paruit Saulus, et in lymphationibus ejus, "David accipiens ci-"tharam pulſabat manu ſuâ; undè re-"ſpirabat Saulus, et benè erat ei, rece-"dente ab eo Spiritu illo malo †."

Clara hæc omnia, et quæ ſatìs noſtram cauſam confirmant. Sin verò reſtet tibi ſcrupulus, Davidem vide non ſemèl citharâ ſuâ melancholiam Sauli in furorem convertiſſe ‡. Nec mirum hoc hominibus fieri, citharam inſcitè vel oſcitantèr pulſantibus; in iis verò remediis, quæ affert Deus, locum habere non poteſt.

Audi Grotium noſtratem, de literis omnibus optimè meritum, hâc verò po-

* 1 Sam. xv. ver. 16. † Ver. 23.
‡ Cap. xviii. 9. & xix. 10.

tiſſimùm laude inſignem, quòd rebus obſcuris in Sacroſancto codice lucem ſempèr affert. Is de muſice medicinali apud Hebræos verba faciens, hæc habet, præ-
" tereà ea vis eſt quorundam ſonorum, ùt
" animum concitatum tranquillent, infrà
" 1 Sam. xvi. 16. Alii torpentem ex-
" citant, et rebus magnis præparant,
" 2 Reg. iii. 15. Sic ferocientes animos
" mollivit Pythagoras, ſeditiones accen-
" ſas inhibuit Aſclepiades, Damon ebrios
" et petulantes juvenes ad modeſtiam re-
" duxit, lymphaticos morbo liberavit
" Xenocrates *."

Hæc ſatìs ſunto, de eo quòd primum quæſivimus, quid factitabant vi carminum priſci Medici. Reſtat

Secundùm, quid in hâc re ſuadeat Natura, et vera Philoſophia.

---

* Annot. in 1 Sam. x. 5.

Quàm

Quàm impar huic operi ego ſum, tu pulchrè noſcis; quippè qui artis tàm medicinalis, quàm muſices prorsùs rudis ſum atque indoctus. Quo igitùr ore aggreſſus es? Quoniam ceteri ſocordiam agunt, quos accendere cupio. Prætereà in causâ tàm probabili, quis non poteſt eſſe diſertus?

Divinus Plato ſtatuit, ex quatuor partibus compoſitam eſſe hominis naturam. Quarum prima eſt terrena, cum ſaxis et luto communis. Altera, quæ viget, quemadmodùm plantæ et arbores, quàm non inconcinnè recentiores vegetabilem adpellant. Tertia, cùm beſtiis communis, quæ igitùr animalis pars vocanda eſt. Poſtrema, ſpiritualis, animus incorporeus, divinæ particula auræ. Quantùm omnes hæ partes ex muſice patiuntur, principiò oſtendere conabor, undè quantam habet

 vim

vim muſice, ad homines aut ſanandos, aut nocendos facilè patebit.

1. Nàm rebus terrenis adeò imperet muſice, ùt vitrea vaſa procùl diſſita, voce humanâ quotidiè rumpantur. Quod et à Plinio notatum ſuprà vidimus. Quid, quòd non modò vitrea, ſed lignea, itemque ſaxea, canentibus nobis concinunt, lyris demùm tibiiſque alternis quodammodò carminibus reſpondent? Plurima hujus generis congeſſit Derhamus veſtras, qui non minori fide, quàm felicitate, Naturam et indagavit et expoſuit. Quem vide de Pavimento, de Fornicibus, de Poſtice, de Subſelliis, de Pileo deniquè, mirum quid Muſices vi patientibus *.

Quantùm hoc ad corporum nervos pertinet, quibus vitiatis tot morbos imputant Medici, facilè patet. Annon hos

* Derham in Phyſico-theologia, lib. iv. c. 3.

igitùr perturbatos ordinare Muſice apta, ordinatos perturbare poteſt inepta? Si vitreos calices diſrumpant moduli diſcordes, quamvìs leniſſimi; quid de nervis corporum tenuiſſimis, et delicatiſſimis, fœminarum præcipuè, exiſtimandum eſt? Tale quid et ipſi nervoſi, ut vocitas, ſentire videntur; quorum nonnulli, ingruente jàm morbo, ſemet in vaſa vitrea mutatos eſſe arbitrati ſunt. Quot ſoni ſunt, qui dentium perturbare aciem vulgò dicti, omnes corporum nervos reverà perturbant? Hoc equidèm mihi ſæpè fit; dentibus verò linguam, ſicutì lyræ plectrum, comprimere, remedio eſt.

Propertius quàm elegantiſſimè!

"Orphea detinuiſſe feras, et concita dicunt
"Flumina Threiciâ detinuiſſe Lyrâ.
"Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem,
"Sponte ſuâ in muri membra coiſſe ferunt *."

* Lib. iii. pag. 213. edit. Patiſſonii.

Et

Et alibì,

"Tunc ego crediderim vobis, et ſidera et
"amnes
"Poſſe, Cytæi, tuis ducere carminibus *."

Scaliger in locum, "Cytæis eſt Medea."

2. Quantùm valet in vegetabilia muſice experiundo nondùm patet: nemo enìm Philoſophorum opinor hanc pulcherrimam ingreſſus eſt provinciam. Fabulæ igitùr meræ fient, quæ Orpheum feciſſe canit Virgilius,

"Mulcentem tigres, et agentem carmine
"quercus †."

Et alibì,

———"juſſitque ediſcere lauros ‡."

Nunquàm tamèn concedere poſſum, ſaxa abs carmine duci, arbores non itèm.

---

* Idem, lib. ii. pag. 146. † Georg. iv.
‡ Bucol. vi.

Eſt

Eſt inter arbuta humillimum, quòd leviſſimè attingente manu, folia repentè contrahit, undè planta ſenſitiva vocatùr. Huic igitùr ſenſum negas eum, quem ſaxis ineſſe fateris? Non adeò abſurdè philoſopharis. Eruditos verò, præcipuè Societatis veſtræ Regiæ Socios, iterùm iterùmque voco in partes, ut hanc rem tandèm faceſſant, nec vegetabilia ſinant, pulcherrimum naturæ opus, à finibus Muſices diutiùs exulari, ubì ſaxis, lutoque conceditur locus.

Quàm pulcherrimè hanc rem explicat, Tragœdiam ſuam exorſus Congreve?

" Muſic has charms to ſoothe the ſavage
" breaſt,
" To ſoften rocks, or bend the knotty oak.
" I've read, that things inanimate have
" mov'd,
" And, as with living ſouls, have been
" inform'd,
" By magic numbers, and perſuaſive ſound:
" What

" What then am I? Am I more ſenſeleſs
" grown,
" Than trees, or flint * ?"

3. Verùm in animalibus nihil deſideratur. Undiquè enìm his dominantur carmina. Id canunt Poetæ, probant Philoſophi, noſmet ipſi denique ſemper et ubiquè experimur. Quid in re tàm apertâ verbis opus eſt? Poetas tamèn pauliſpèr audiamus, quorum carmina in hoc loco melle dulciſſimo dulciora fluunt. E quibus præcipuè laudandus mihi Shakeſpeare Veſtras, tùm jure ſuo, tùm quòd ei plurimùm debeo. Hujus enìm accenſus amore, linguæ Anglicanæ primùm operam dedi, donec eam et legere, et intelligere potui, quamvis nec loqui nec ſcribere poſſum; et nunc eum dies noctesque libentiſſimè legere ſoleo. Eundem audio bonis avibus citò proditurum, curante

---

* Mourning Bride.

Clariſſimo

Clariſſimo Jonſonio; à quo omnia ſperare licet, quæ labor, ingenium, eruditio, fideſque perfectiſſima Editoris præſtare valet. De Philologiâ enìm optimè, nec minùs de cunctis bonis artibus meruit. Quantum ejus Dictionario debeo, tu ipſe ſcis. Hanc certè editionem avidiſſimis animis omnes in hoc loco expectamus Shakeſperiani.

In the Merchant of Venice.

" For do but mark a wild and wanton herd,
" Or race of youthful and unhandled colts,
" Fetching mad bounds, bellowing and neigh-
" ing loud,
" Which is the hot condition of their blood;
" If they perchance but hear a trumpet ſound,
" Or any air of muſic touch their ears,
" You ſhall perceive them make a mutual
" ſtand;
" Their ſavage eyes turned to a modeſt gaze
" By the ſweet power of muſic. Thus the
" Poet

" Did feign that Orpheus drew trees, ſtones,
" and floods ;
" Since nought ſo ſtockiſh, hard, and full of
" rage,
" But muſic for the time doth change it's
" nature *."

Nec video ubì parem apud veteres invenias venuſtatem ; nullibì medius fidius præſtantiorem. Ariſtotelem hic teſtantem audire non eſt alienum :

Αλισκονται δε θηρευομεναι ἁι ελαφοι συριττοντων και ᾀδοντων, ὡστε και καλακηλευνται ὑπο της ἡδονης. Δυο δ᾽οντων, ὁ μεν φανερως ᾀδει, ἠ συριττει· ὁ δε, εκ τȣ οπισθεν βαλλει, ὁταν ȣτος σημαινη τον καιρον †.

* Act 5. ſc. 1.

† Capiuntur autèm abs venantum ſive cantu ſive tibiâ, adeò horum dulcedine demulcentur, Cervi. Duorum enim ſimùl venantum, alius quidèm apertè vel canit, vel tibiam inflat ; alter verò ponè turgum ſequens, ſimul ac iſte tempus eſſe idoneum docuerit, beſtiam ferit. De Animal. Hiſtor. lib. ix. Cap. 5. ad finem.

Daphnim

Daphnim moribundum plangebant feræ illius fiſtulæ dulcedine captæ. Hæc quàm venuſtè Theocritus!

Τηνον μανθωες, τηνον λυκοι ωρυσαντο,
Τηνον χὠ 'κ δρυμοιο λεων απεκλαυσε
θανοντα.
Αρχετε βωκολικας, μωσαι φιλαι, αρχετ'
αοιδας *.

Nam cymbalum apes, non alitèr quàm milites tuba, in ſtationem ſuam cogit. Quod Virgilius olìm admonuit,

"Tinnituſque cie, et Matris quate cym-
"bala circùm,
"Ipſæ conſident †."

Quid igitur? nùm hæc omnia contrà veritatem fingunt Poetæ? Ornant qui-

* Namque hunc catuli ferarum, hunc lugebant lupi, Hunc et ipſe ex querceto ruens Leo flebat moriturum Agite bucolicum, Muſæ dulces, agite carmen. Idyll. i.

† Georg. iv.

dèm, et in nonnullis forſitàn augent; nàm res veriſſima eſt, et quam quotidiè videmus. Annon magìs mirandum, ſerpentes letaliſſimos vi muſices manſuefactos reddi? Hoc autèm certiſſimi teſtes prodidêre, tàm veteres quàm recentiores. Ex illis Davidem Pſalmiſtan imprimìs memorare oportet; "Venenum eſt illis "ſimile veneno ſerpentis, ſicutì aſpidis "ſurdæ obturantis aurem ſuam, quæ "non auſcultat voci muſſitantium; uten-"tis incantationibus peritiſſimi *." Omnium igitùr animalium efferatiſſimum eſt, et penè extra ordinem quod carmina non ſentit. Mirum quàm huic ſimile habent Pindarus et Shakeſpeare, de quibus poſteà. Apud Virgilium verò,

"Frigidus in pratis cantando rumpitur
"anguis †."

---

* Pſal. lviii. 4, 5.

† Bucol. viii.

Ex

Ex recentioribus verò multorum teſtimonia ipſe audivi. Noſtrates enìm, qui ultrà Indum fluvium, mercatûs cauſâ, commorati ſunt, affirmant paſsìm eſſe Indos, qui parvulâ mercede conducti, ingentes et diriſſimos ſerpentes, vi muſices ex foraminibus ad ſe alliciunt, et æquè innoxios et placidos ùt catulum domeſticum reddunt. Nàm per urbes ludibundi circumferunt, nec raró in gremio ſuo eos fovent. Vide quæ de monumentis Æſculapii antiquis anteà diximus. Hæc non abs nautis mentiri ſolitis, verùm a viris graviſſimis accepi; inter quos M. Von Storken eſt, arcis propè Gangem quondàm Præfectus, quem ego honoris cauſâ nominatum volo. Annon Veteres credidêre Ariona abs Delphino eſſe vectum, qui ejus citharâ demulcebatur? Cui ipſe, talia recordatus, penè fidem habeo.

Idem fieri ſolitum eſt olìm apud Ægyptios, quod copioſiùs expoſuit Dion, Cleo-

patræ

patræ interitum narrans. His verò incantatoribus nomen Pſylli inditum eſt, quorum non paucos ſecum ſumpſit Cato minor, Romanorum Sapientiſſimus, per Solitudines Libyæ, aſpidibus refertiſſimas, exercitum ſuum trajecturus. Τȣς καλȣμενȣς Ψυλλȣς επαγομενος, ὁι τα δε δηγματα των θηριων ιωνται, τοις ϛομασιν ἑλκοντες ιον, αυτα δε θηρια κατεπαδοντες αμϐλυνȣσι και κηλȣσι *.

Ad hanc rem pertinet, quod, Scaligero ipſo Auctore, refert Boyleus veſtras præclariſſimus, de quodam Equite Vaſconico, qui ſonantibus iſtiuſmodi tibiis, quæ crumenæ adjunguntur, veſicæ ſuæ imperare non potuit †; hoc enìm certe paſſus eſt, non ùt homo, ſed ùt animal.

* Quos vocant Pſyllos ſecum agens; namque illi viperarum morſus ſanant, ore extrahentes venenum, viperas autèm ipſas cantando demulcent, et innocuas reddunt. Plutar. Vit. Caton. pag. 787.

† Boyleus apud Derhami Phyſico-Theolog.

Quod benè ùt ſempèr, Shakeſpeare veſtras effert,

> " And others, when the bagpipe ſings
> " i'the noſe,
> " Cannot contain their urine for *affec-*
> " *tion.*"

Et paulò infrà,

> " Why he a woollen bagpipe, but of
> " force
> " Muſt yield to ſuch inevitable ſhame,
> " As to offend, himſelf being offended *."

In Tarantulæ morſibus, muſice quàm efficax eſt remedium, et quàm unicum, tute meliùs exponere potes. Res dudùm incredibilis viſa eſt, hodiè verò omnes agnoſcunt eruditi. Idem olìm multis ex muſice remediis contingere, et ſpero et auguror. Hinc equidèm triumphare de Hippocrateis datur. Sed victis parcendum eſt.

* The Merchant of Venice, Act iv. Sc. 1.

De

De hoc denique toto genere affirmat, qui vobis Homerus eſt, Miltonus veſtras,

"Sound charms the ſenſe *."

IV. In animi verò motibus vel ciendis, vel ſedandis, non minùs eſt efficax. Memorat Spectator veſtras Addiſon modulos muſices quoſdam, undè animus ingentiſſimis concutitur terroribus.

Quinetiàm ſuis juſſit Pythagoras, ut muſicen ad animum ſolùm referrent, nec aliundè eam perciperent. *Πυθαγορας δε ὁ σεμνος απεδοκιμαζε την κρισιν της μȣσικης της αισθησεως* †. Hanc muſices tu ipſe vim, hanc ego, hanc omnes perpeſſi ſumus; qui expers eſt, hunc vìx hominem, ſed

---

* Paradiſe Loſt.

† Pythagoras autèm ille colendus, flocci habuit omnem muſicen quæ per corporis ſenſus judicatur. Plut. de Muſice, pag. 1144.

immanitate

immanitate Diabolum quendam eſſe cenſet Shakeſpeare,

"The man who hath no muſic in himſelf,
"And is not mov'd with concord of ſweet
"ſounds,
"Is fit for treaſons, ſtratagems, and ſpoils;
"The motions of his ſpirit are dull as
"night,
"And his affections dark as Erebus:
"Let no ſuch man be truſted *."

Annon Pindarum legerat ita canentem,

Οσσα δε μη πεφιληκε
Ζευς, ατυζονται βοαν
Πιεριδων αιοντα,
Γαντε και ποντον κατ' αμαιμακετον
Ος γ' εν αινα Ταρταρῳ κει-
ται θεων πολεμιος,
Τυφως εκατονκαρανος †.

Eliſæus

* Merchant of Venice, Act v. Sc. 1.

† Quæcunque ſunt Jovi inviſa,
Hæc tremunt vocem

 Muſarum

Eliſæus Propheta, impio Iſraelitarum rege viſo, iracundiâ adeò eſt agitatus, ùt munus ſuum obire non potuit. Hunc tamèn illicò ſedavit cithara *. Nec ob alium finem Veteres arbitror in cœnis adhibuiſſe lyram, quàm ut exindè iracundiâ et curis amotis, placido animo convivarentur. Num famem carmina excitant? Ariſtotelem vide Philoſophum acutiſſimum, quid ſentit de muſice animis hominum imperante. Της γαρ δια των πονων λυπης Ιατρεια εςι Μεσικη †. Et paulò in-

---

Muſarum audientia
Tum quæ terram, quam quæ vaſtum colunt æquor;
Ipſe qui in Tartaro jacet ſævo
Diis infeſtiſſimus, Typho centiceps.

Pyth. i.

* 2 Reg. c. iii.

† De Repub. lib. viii. c. 5. Nam dolor qui ex laboribus oritur, ejus medicina eſt Muſice.—— Ineſt quidem Muſicæ naturâ ſuâpte Voluptas.—— Verùm proculdubiò varia et multiplex eſt harmoniarum natura.

ſra εχει γαι μεσικη φυσικην ἡδονην—Ευθυς γαρ ἡ των ἁρμωνιων διεςηκε φυσις— fuſius denique explicat, quo pacto μελη diverſa, omnes animi motus aut excitant aut ſedant. Ουκ ἡκιςα δε δια των Ολυμπε μελων. Ταυτα γαρ ομολογεμενως ποιει τας ψυχας ενθεσιαςικας— εςι δε ὁμοιωματα μαλιςα * παρα τας αληθινας φυσεις ἐν τοις ρυθμοις και τοις μελεσιν οργης και πραοτητος, ετι ταν-δρειας και σωφροσυνης, και παντων των εναντιων τε τοις, και των αλλων ηθικων. Plura non perſcribo; nam dignum eſt caput quod totum perlegas. Idem in problematibus ὁσα περι ἁρμωνιαν· Δια τι ρυθμῳ, και μελει, και ὁλαις ταις συμφωνιαις χαιρεσι παντες, η

* Plurimùm verò per Olympi modulos. Quis enim negat ex his animos reddi enthuſiaſticos? Omnes ſimilitèr, præcipuè quibus verum ineſt ingenium carmine et modulis feruntur ad iram et manſuetudinem, ad fortitudinem itaquè et modeſtiam, ad omnia etiàm quæ his ſunt contraria, ad cæteros deniquè qui hominibus contingunt affectus.

ταις κατα φυσιν κινησεσι χαιρομεν κατα φυσιν — ἁι γαρ νοσοι της τε σωματος ε κατα φυσιν ταξεως κινησεις εισι *. Quod ultimum ab Ariſtoxeni ſententiâ non alienùm eſt, utì fuſiùs ſuprà expoſuimus.

Hùc pertinent Xenophontis illa; ειναι μεν τινας φασιν επωδας, ἁς ὁι επιςαμενοι επαδοντες οἱς αν βελωνται φιλες εαυτοις ποιεντας †. Ita et Cratinus in Chirone a ſcholiaſte in Thucydidem citatus, λεγων την Μεσικην ακορεςες επιφερειν οργας βροτοις σωφροσι· ubi οργας interpretatur χαριτας ‡.

---

* Quæ ad harmoniam pertinent — Quid eſt cur carmen, moduli, et nullæ non ſpmphoniæ, omnibus gaudium afferunt? Nam in motibus qui ſecundum naturam fiunt, ipſâ Naturâ imperante lætamur? — Quid enim aliud corporis morbi habendi ſunt quàm motus contra ordinationis naturam? Problem 3.

† Απομν. lib. III. c. vi. p. 103. Quædam eſſe dicunt carmina, quæ, qui callent, cantantes, quoſcunque velint, amicos inter ſe reddunt.

‡ Lib. viii. p. 258. Muſicen ingentiſſumum benefaciendi affectum cordatis viris afferre.

Hanc

Hanc totam rem quàm venuſtiſſimè depingit Drydenus veſtras in Ode ſuâ cui titulus, *Alexander's Feaſt.* Ex hiſtoriâ ſatìs notâ depromens, arte divinâ atque elegantiâ Timotheum nobis exhibet, lyrâ ſuâ Alexandri animum, in quaſcunque voluerit partes, trahentem. Multos legi apud vos Pindariſtas; verùm hæc equidèm Ode facilè exſuperat omnes; nam Graii veſtratis elegiaca eſt, nec Tibullianis ipſis cedit *.

Quantùm vero dominatur Barbaris Americanis Muſice? Quos Bellonæ canticus, quem vocant *Warhoop*, in furorem planè, et rabiem vertit. Hoc veſtri milites fortiſſimi non raró experti ſunt. Eoſdem verò narrat fidelis Scriptor, ex tibiâ Centurionis cujuſdam Gallici adeò manſuefactos quondam eſſe redditos, ut

* The Country Church-Yard.

quem

quem infeſtiſſimis animis adorti ſunt, hunc pro cariſſimo habuiſſent.

Quid Hudibras veſter, tàm acri judicio et ſumma eruditione, quàm ſalibus referſtiſſimus?

"For if a trumpet ſound, or drum beat;
"Who has not a month's mind to com-
"bat *?"

Quandoquidèm igitùr omnibus partibus, a quibus componitur homo, adeò imperet Muſice, quantum id ad homines ſanandos valet, tute optimè ſcis. Nec enìm, niſì cùm omnia elementa noſtra et partes rectè ſe habeant, harmonia ſive bona Valetudo conſtare poteſt. Eam ergò perturbatam, componere atque ordinare, utrum horum melius poſſe videtur? an Muſice, an herbæ et medicorum, quælibet ſunt, δοσεις? Etenìm hæ terrenam

* Part I, Cant. ii. ver. 3.

plerumquè vel vegetabilem, illa omnes noſtrûm partes tangit.

Hoc idem, vel penè plus concludit Temple veſtras; at qualis vir? Quem ſcilicèt omnes, in judicio, ingenio atque eruditione agnoſcunt fuiſſe primarium: "The powers of Muſic are either felt or "known by all men, and are allowed to "work ſtrangely upon the mind and the "body, the paſſions and the blood, to "raiſe joy and grief, to give pleaſure "and pain, to *cure diſeaſes*, and the mor-"tal ſting of the Tarantula, to give "motions to the feet, (*της ακȣει μεν* "*βασις* *) as well as the heart, to "compoſe diſturbed thoughts, to aſ-"ſiſt and heighten even devotion itſelf. "We need no recourſe to the fables of "Orpheus and Arion, or the force of

* Pindar. ſupra.

"their muſic upon fiſhes and beaſts, it
"is enough that we find the charming
"of ſerpents, and the cure or allay of
"an evil ſpirit, or poſſeſſion, attributed
"to it in Sacred Writ *."

Plura hujuſmodì habet; undè intelligere datur, quàm acerrimè illud ævi ſui decus, hanc tuetur opinionem.

Apud noſtrates ità ferè ſe habet res medicinalis. Somnolentos, torpentes et languidos, quorum maxima pars eſt, καρδιακαις medicinis excitant, ferocientes nimiùm et vigiliis confectos, paregoricis ſive κατακοιμητικω leniunt, et ſopitos reddunt. In quibus duobus potiſſimùm verſantur medici, at ultrà hos fines rarò vagati ſunt. Quam in utroque pollet carmen, ſatìs anteà vidimus.

---

* Temple on Poetry, p. 312, apud Tonſon.

Pulchrè

Pulchrè equidèm κατακοιμητικȣ vim, ſicut cetera omnia, exhibet nobis Shakeſpeare. Quàm patheticè ſuum ſomniandi deſiderium profert Rex?

"How many thouſands of my pooreſt ſub-
"jects
"Are at this hour aſleep? O gentle ſleep,
"Nature's ſoft nurſe, how have I frighted
"thee
"That thou no more wilt weigh theſe eye-
"lids down *."

et quæ ſequuntur. Curis tandèm èt vigilantiâ confectus, Deum ſomnum ritè, ſcilicèt per muſicen invocans, habuit ſibi propitium. Aulicis enìm imperat,

"Let there be no noiſe made, my gentle
"friends,
"Unleſs ſome ſlow and favourable hand
"Will whiſper muſic to my weary ſpirit †."

---

* Henry IV. part II. act iii. ſc. 1.

† Henry IV. part II. act iv. ſc. 9.

Quem protinùs invaſit ſomnus tàm arctiſſimus, ut coronam in pulvinari juxta ſe poſitam arriperet, ipſo non ſentiente, Galliæ Princeps.

Tu autèm quæris, cùr non ii maximè longævi atque ſani ſunt, apud quos maximè viget Muſice, quippè ægrotis tàm efficax remedium. Nùm verò Itali, quàm Helvetii, meliùs valent? His enìm deliciæ, illis probro eſt Lyra. Mitto Xenophilum muſicum, qui centeſimum et quintum attigit annum, teſtante Ariſtoxeno apud Lucianum *. Nàm tibi, medico præſertìm, facilè reſponderi poteſt. Annon corticem Peruvianum, efficaciſſimam et præſentiſſimam agnoſcis medicinam? Quid ſi hunc vehementiſſimè πυρετȣντι porrigas; annon letalis eſt? Lethargico paregoricum præbe, furenti cardiacum, nonne pro medico ſicarius es habendus?

* Περι Μακροβιων. Idem itaque teſtatur Plinius, Hiſtor. Natur.

bendus? Nec alitèr nocet Muſicus, qui huic carmen concitatorium, illi *καλακοιμηλικον* concinat. Perito medicinarum delectu, pro laborantium morbo atque valetudine, in utriſque opus eſt; nec artem elevare debent, qui eam illotis, ùt ajunt, manibus accedunt.

Hoc malum ſapientiſſimè cavebant olìm Argivi, lege ſancientes, nè quis muſices, aut novum inſtrumentum, aut modulos novos, ſenatûs injuſſu proferret: imò et peccantem contra legem reapſe puniebant. *Αργειυς μεν γαρ και κολασιν επιθειναι ποτε φασι τη εις την μυσικην παρανομια, ζημιωσαι τε τον επεχειρησαντα πρωτον τοις πλειοσι των επτα β, ρ, κ, τ* *. A quo non multùm diſcrepat inſtitutum veſtrum. Etenìm

* Quùm et Argivi dicuntur ſupplicium ordinâſſe olìm in eos, qui contra leges muſicæ deliquêrunt; nàm multam indixêre ei, qui plùs quàm ſeptem nervis aggreſſus eſt primus, &c.

 nemini

nemini apud Londinum, ſi rectè accipio, veſtri Medicorum Collegii injuſſu, aut novam medicinam proferre, aut conſuetam mutando inquinare licet.

Porrò quærere pergis, quid in hâc re faciendum? Omnes enìm Muſici medicinam, muſicam verò Medicorum plerique neſciunt. Quid olìm dixit ille? Utinam aut Reges eſſent Philoſophi, aut Philoſophi eſſent Reges! Cùm verò ex Philoſopho Regem, quàm ex Rege Philoſophum citiùs faceres; ità quidèm ex Muſico Medicus tardiùs, ex Medico Muſicus citiùs prodibit. Nè vobis igitùr pudori ſit Lyra, Eruditiſſimi Medici, quàm ut ediſcerent, omnibus ſuis juſſit ipſe Pythagoras.

Quibus morbis ferè ægrotant homines, quid præterea valet uniuſcujuſque temperamentum, te raro fallit. Nihil igitùr ultrà quærendum, nisì ut ex carminibus, potiùs

potiùs quàm ex materiâ medicâ, ut dicitur, remedia petas. Illinc enim, quæ exhilarant, quæ contriſtant, quæ ſomnos inducunt et auferunt, quæ denique corpus quâlibet diſcordiâ perturbatum componunt, ſempèr et affatìm depromere poſſis. Nec ut in totum exulet Materia Medica, poſco; id enìm oris impudentiſſimi eſſet, ſed ut particeps tandèm in medendis ægris ſit Muſice, nec diutiùs ſummâ cum hominum pernicie abs medicis repudietur.

Muſices virtutes, quot et quales ſunt, omnium præcipuè amiciſſimo noſtro B— callere dedit ipſe Apollo. Qui ſicùt Attici olìm, et ſalibus et muſice præſtat. Hic quantò voce cedit, tantò acumine et judicio cantandi anteit cunctos. Eum potiſſimùm conſule, quid ſit molle, quid virile, quid dulce, aſperum quid, vetus illud Doricum quale ſit, quale Lydium, elaboratam ad artem quæ pertinent, quæ

ad

ad diſſolutam, quid deniquè muſices pars unaquæque, ubicunque vocaveris, agere poteſt. Hunc equidèm modulos illos medendi priſcos excogitaturum ſpero, aut alium neminem.

Plura de hâc re dicere, nec ingenii, nec ſcientiæ, nec negotii noſtri eſt. Porrò, quàm incultè craſsâque Minervâ dicuntur, me non latet. Quorsùm igitùr hæc, inquis? Ut alios ad hoc aggrediundum opus excitem, quod illis gloriæ, hominibus verò ſaluti fiet. Ut non deſint Scriptores graviſſimi, cùm non deeſt cauſa graviſſima ſcribendi.

Rem ſæpè detuli ad noſtrates, præcipuè ad Academiæ primarios: quorum cauſæ noſtræ favent non pauci, ceterùm opus aggredi nolunt omnes; quippè novum, inauditum, et quod Batavorum auribus minimè placet. Inaudita forsàn proferre impunè licet, ſed muſice operam dare, apud

apud nos penè capitis eſt. Anglorum erit, ſi benè auguror, hanc perditam renovare artem, quæ ſibi in perpetuum laudem ingentiſſimam, omnibus autèm indolentiam tàm animi quàm corporis afferet. Vobis enìm honeſtiſſima voluntas eſt, primos in cognitione veri ingredi viam; ceterùm voluntati, nec ingenium neque labor deeſt. Quot verò, et quales ubìque in veſtris Inſulis fortunatis Mæcenates? Inter quos ſilere non poſſum F.— juvenem nobilem, natalitiis præclarum, animi magnitudine præclariorem; cui ego plurimum libentiſſimè debeo. Æſculapio Muſico Medicinali, priſtinos ſuos honores, et cultum diù neglectum, Veſtrates tandèm inſtaurabunt.

Macte igitùr eſto, mi Antoni, et B— felicis ingenii ſocium adſumens, hoc opus aggredere pulcherrimum; quod vobis, veſtriſque omnibus felix, fauſtumque ſit! Porrò ſi te adeò diſtinent ægrotantes, illum verò

verò negotia ſua, ut vobis otium non ſit; alios excitate, aliis auctores eſtote, qui artem utramque callent, et tàm Muſis quàm ſaluti hominum deditiſſimi ſunt.

Saluta Cantabrigienſes omnes, præcipuè T—— eruditum paritèr et benevolum, quem ego plurimi habeo. Amiciſſimis noſtris, qui H—— viri benigniſſimi menſam hoſpitalem adeunt, læta omnia precor. Cui olìm ſemèl interfui, quot et quanta gaudia percipiens! Cui, ſi iterùm Londinum viſere contingat, quàm regiis dapibus, intereſſe mallem.

Quid mihi demùm fit, rogas? Exercet me hodiè, ſicùt olìm, imperitorum quorundam pervicax odium; quibus tamèn ingenti meo cùm labore, multùm profui, aut ſaltèm prodeſſe conatus ſum. Solatio ſunt, eorum qui fuêre Homerus, Pindarus, Plato, &c. etiàm qui hodie ſunt, multi eruditi et amantes viri, cuncti deniquè

deniquè qui penitùs me noſcunt. Nùm ego rebus in ullis laudem merui? Eæ ſunt ipſæ, propter quas undique in me animis infeſtiſſimis concurritur. Te nil horum latet. Si ego, nec amicum calamitoſum deſerui unquàm, nec in rebus ſuis lætis inimicum turpitèr colui; cùr aſſentatores, paraſitos, transfugas, proditores manet honos, me autèm repulſa, atque diſſidium? In me immerentem ſæpè irruit fortuna; verùm non hoc, ſed eorum de quibus benè merui, excruciat negligentia. Quamvìs igitùr mihi ſolum natale cordi ſempèr erit, hoc tamèn in perpetuum linquere aveo, nidum aliquem et ſenectuti inſtanti, et otio literatorio comparaturus. Plurimùm te ſalutant in Academiâ noſtra amici ſuperſtites.

Benè vale, mi jucundiſſime Antoni, et utramque tibiam felicitèr tuearis.

Trajecti, Kal. Nov.
MDCCLXV.

MEDICAL LIBRARY BATH

ERRATA.

Pag.	Lin.	
7	5	pro *deſidia*, leg. *diſſidia*.
9	5	pro *multam*, leg. *multum*.
12	16	in notâ pro *ſive*, leg. *ſine*.
26	5	pro δομȣ, leg. δ᾽ομȣ.
30	16	pro *vocant*, leg. *dicunt*.
37	15	pro αρκη, leg. αρχη.
58	11	pro ουριττει, leg. συριττει.
67	1	pro γαι, leg. και.
Ib.	2	pro αρμωνιων, leg. ἁρμονιων.
Ib.	16	pro ὁλαις, leg. ὁλως.
68	19	pro *Probl. III.* leg. *Probl. XIX.*